



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. XL. An essentia Dei oculo corporeo à beatis videatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

oculo corporali. Dicitur enim Iob. 19. *In carne mea videbo Deum*, &c. Et 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.*

2. Præterea, August. dicit vlt. de Ciuit. Dei cap. 29. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, scilicet glorificatorum non ut acutius videant, quam perhibetur videre serpentes, vel aquilæ. Quantalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud possunt videre quam corpora: sed ut videant, & incorporalia. Quicumque autem potest videre incorporalia, potest eleuari ad videndum Deum, ergo oculus glorificatus potest videre Deum.

3. Præterea, Deus potest videri ab homine visione imaginaria. Dicitur enim Isaia 6. *Vidi Dominum sedentem super sol,* &c. Sed visio imaginaria à sensu originem habet: phantasia enim est motus factus à sensu secundum actum, ut dicitur in 3. de Anima: ergo Deus sensibili visione videri potest.

Sed contra est, quod dicit August. in libro de videndo Deum ad Paulinum: Deum nemo vidit vnquam: vel in hac vita, sicut ipse est: vel in Angelorum vita sicut visibilia ista, quæ corporali visione cernuntur.

Respondeo dicendum, quod impossibile est Deum videri sensu visus, vel quocumque alio sensu, aut potentia sensitiuæ partis. Omnis enim potentia huiusmodi est actus corporalis organi, ut infra dicitur. Actus autem proportionatur ei, cuius est actus. Vnde nulla huiusmodi potentia potest se extendere vltra corporalia. Deus autem incorporeus est, ut supra ostensum est, vnde nec sensu, nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur: *In carne mea videbo Deum saluatorem meum*: non intelligitur quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum. Similiter quod dicitur, *Nunc oculus meus videt te*: intelligitur de oculo mentis: sicut Ephe. 1. dicit Apostolus: *Det vobis spiritum sapientia in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri.*

Ad secundum dicendum, quod August. loquitur inquirendo in verbis illis, & sub conditione. Quod patet ex hoc quod præmittitur, longe itaque potentia altius erunt, scilicet oculi glorificati, si per eos videbitur incorporea illa natura. Sed postmodum hoc determinat dicens: Valde credibile est, si nos visuros mundana tunc corpora cæli noui, & terræ nouæ, ut Deum vbiq; præsentem, & vniuersa et-

iam corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus, non sicut nunc inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sed sicut homines, inter quos viuentes motusque vitales exerceant viuimus: mox ut aspiciamus, non credimus viuere, sed videmus. Ex quo patet, quod hoc modo intelligit, oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicuius vitam: vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se vitabile, sed sicut sensibile per accidens: quod quidem à visu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitur. Quod autem statim visis corporibus diuina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, & ex refulgentia diuinæ claritatis in corporibus innouatis.

Ad tertium dicendum, quod in visione imaginaria non videtur Dei essentia, sed aliqua forma in imaginatione formatur, representans Deum secundum aliquem modum similitudinis, prout in Scripturis diuinis diuina per res sensibiles metaphoricè describuntur.

Conclusio est: Deus non potest videri oculo corporeo. Ea vero intelligitur non solum de potentia ordinaria Dei, sed etiam de absoluta, quod manifestam in se contineat contradictionem, Deum oculo corporeo videri. Doctrina est inter Scholasticos sine controversia, quam paucis sequenti disputatione explicabimus.

DISPUTATIO XL.

An essentia Dei oculo corporis à Beatis videatur.

CAPVT I.

Quid de hac re senserit Augustinus.

Quid de hac re senserit Augustinus, cap. 1.

Deum non posse oculo corporeo videri, cap. 2.

Obiectiones ex locis Scripture de prompta, cap. 3.

Es quidem satis erat indubitata inter Scholasticos, & reliquos Ecclesiæ Patres, Deum oculo corporis non posse videri. August. tamen, qui de rebus abditissimis, ut erat ingenio acuto, feliciter disputare consuevit, 22. de ciuit. Dei c. 29. docuisse videtur, Deum oculo corporeo non solum posse, sed etiam nunc à beatis videri: quem locum Augustini refert S. Th. in hoc art. in 2. argum. & in bonum sensum ipsum interpretatus, asserit, Augustinum nihil ibi certi definisse, sed inquirendo tantum, & quasi dubitando, id proposuisse: nam postquam dixisse videbatur, Deum oculo corporeo, habenti tamen modum spiritualem, videri posse; temperans quodammodo sententiam in fine capituli ait in hæc verba: Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tantæ excellentiæ menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod visis exemplis siue Scripturarum testimonijs diuinis, vel diffinile, vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum

dum facilius ita nobis Deus erit notus, atque conspicuus, videretur spiritui a singulis nobis in singulis nobis: hæc enim Augustinus: qui tunc fatetur, difficile esse, aut impossibile ex Scripturarum testimonijs, vel exemplis ostendere, oculis corporeis Beatorum aliquid inesse spirituale, quo Deus ipse videatur, sicut antea ipse eo capite docuerat: non tamen omnino negat oculo corporeo habenti modum spirituale, Deum videri posse.

Deum oculo corporeo videri non posse dicitur oper. Aug. 1.

Ambros.
Hieron.
Nazian.
Athanas.

Accedit quod idem Augustinus in epist. iii. excusat se cum Fortunato, ipsumque precatur, ut Episcopum quendam sibi reconciliet, quem literis suis offenderat, eo præsertim quod dixerat, Deum nec videri, nec videndum esse oculis corporeis: id quod ita docuisse testatur Augustinus, ut Anthropomorphice dixerint, Deum corporeum esse crederetur. Confirmata enim testimonijs Ambrosii, Hieronimi, Nazianzeni, & Athanasii, qui Deum invisibilem esse dixerunt, atque hæc de causa nec à Moysè, nec à Prophetis vitum unquam fuisse, nisi, ut ait Ambrosius in cap. i. Lucæ cap. de apparitione Angeli, sub aliqua forma, quam voluntas Dei elegit, non natura formavit: sed tandem in fine epistolæ nihil aliud definire, inquit enim: Si autem iste dixerit, quod de spirituali corpore adhuc requiro, iam sibi firmat esse certissimum, nisi placidus audierit docentem: ita ut ille quoque placidus me audiat inquirentem, habet unde iure iudicet. Quibus verbis demonstrat, se adhuc sub ea dubitatione, & inquisitione manere.

CAPUT II.

Deum non posse oculo corporeo videri.

Tamen si neque Scripturæ, nec Conciliorum, nec Patrum testimonijs expresse definitum sit, non posse Deum oculo corporeo videri, tamen ad effectum ratione naturali probatur, ut oppositum error manifestus debeat iudicari; cum ex eo vi solum rationis naturalis plane sequatur, Deum esse corporatum, ut falso hæretici Anthropomorphice pronuntiant. Ratio vero est huiusmodi.

Ratio naturalis.

Aut visio, & qualibet cognitio ita est actio ipsius vidētis, & cognoscentis, ut ab eo etiam pendeat, tanquam à causa efficiēti; & à solo Deo produci nequeat, quod verius puto, ut i. 2. q. 3. art. 2. demonstrabitur; aut solum est actio grammaticalis per modum solius formæ efficiētis subiectum, ita tamen ab eo pendens, ut à Deo solo fieri queat; & utroque modo evidenter convincitur, Deum oculo corporeo videri non posse. Primum quidem, si visio corporea ita pendeat ab oculo, ut sine illius concursu effici nequeat. Etenim opus est visui inesse virtutem aliquam effectricem circa obiectum quod debet videre, etiam si indigeat peculiari Dei concursu, sicut insuper intellectus noster ad videndum Deum ac proinde de quavis dicimus, Deum posse assumere, ut instrumentum quamlibet rem creatam ad quemcumque alium effectum, tamen non dicimus posse aliquam potentiam elevari à Deo, ad cognoscendum aliquid, nisi id intra latitudinem sui obiecti contineatur, quia circa aliud nullum habet vestigium innatæ efficacitatis: idcirco oculus non potest elevari ad audiendum sonum. Huius vero ratio est, quia visio quæcunque etiam supernaturalis, quotenus visio est, & perceptio vitæ, natura sua pendet ab aliqua determinata facultate viventis: cum ergo obiectum visus secundum totam suam latitudinem intra rationem

Prima eius pars.

corporis contineatur, nihil, quod sit spiritus, ab eo videri poterit, nec peculiari, & super naturali Dei efficacia ad illius visionem elevari. Perinde enim esset elevari ad videndum spiritum, atque ad videndum sonum: minorem enim convenientiam cum visui habet spiritus, quam sonus: hic enim ab aliquo sensu naturaliter cognosci potest, ille vero à nullo: sed Deus est spiritus: ergo ad visionem illius oculus corporeus nulla Dei potentia pervenire potest.

Secunda pars.

Deinde etiam si visio produci posset à solo Deo, nilominus fieri non posset in oculo corporeo visio ipsius Dei. Sicut enim visio coloris poni non potest in lapide, quia non est idoneum subiectum illius, sic etiam nec visio Dei, quæ debet esse spiritualis, poni poterit in visu corporeo, quare nec ab eo Deus videri posset. Hæc ratio non solum vim habet in eorum opinione, qui censent, posse à solo Deo visionem produci, in quolibet tamen subiecto non posse poni; verum etiam in eorum sententia, qui dicunt, posse quidem in quolibet subiecto poni, ut in lapide, non tamen sub ratione visionis, sed cuiusdam qualitatis, quod mihi saltem videtur, ut in eo art. 2. probabo. Impossibile enim est, formam aliquam inesse alii subiecto, & non tribuere illi effectum formalem proprium, & secundum suam speciem.

Illatio optima. S. Thom. Bonavent. Durand. Petrus.

Ex dictis sequitur id, quod disp. 37. cap. 6. diximus, & optime notavit S. Th. 3. contra gent. cap. 54. Bonavent. in i. d. 3. i. p. dist. art. 1. q. 1. ad 2. Durandus in 4. d. 49. q. 2. num. 13. aliud q. 1. art. 2. in fine, scilicet multo magis distat secundum rationem obiecti res spirituales creatas, licet finite sit, ita facultate sentiente, quam Deum, qui infinitus est, ab intellectu nostro, quia, ut ibi dicebamus, quamvis Deus secundum rationem entis excedat infinitè quamlibet facultatem creatam; tamen secundum rationem obiecti habet convenientiam cum intellectu, quandoquidem intra latitudinem illius continetur. Contra vero res spirituales, licet secundum rationem entis minus excedant potentiam, & facultatem sentientem, quam Deus intellectum nostrum; tamen secundum rationem obiecti multo magis distat, minoremque convenientiam cum illa habent, quam Deus cum intellectu nostro. Deus enim convenit cum intellectu, sicut proprium obiectum cum sua potentia, ut explicatum est: substantiæ vero spirituales nullam habent convenientiam cum sensu, quia intra latitudinem illius non continentur. Quare qui dicit Deum secundum se visio modo ab oculo corporeo posse videri, cogit incidere in errorem Anthropomorphitarum, qui dicebant Deum esse corporatum. Vera enim philosophia docet, solum obiectum corporeum videri posse.

5

CAPUT III.

Obiectiones ex locis Scripturæ de promptæ.

Vobis tamen Scripturæ locis probari videtur, Deum oculo corporeo videri posse. Vnus est Job 42. Auditu auris audivi te, nunc autem oculos meus Job 42. videt. Quia in locum tractans Augustinus 2. de civitate Dei c. illo 29. ait: Fortasse virtutem magnam certuendi oculis corporalibus ipsum Deum communicatam fuisse Job. Senus tamen plane illius loci alius est, ex quo nihil contra veritatem, quam hæcenus statuimus, colligi potest. Cum enim Job reprehenderet seipsum, quod contra Dei providentiam videretur

Job 42. August.

Exploratur Job 42. videtur

deretur obmurmurasse, & ideo dixisset, *Idcirco me reprehendo, & in faucibus, & cinere penitentiam ago*, postquam experimento in seipso cognouit Dei erga se prouidentiam, subiunxit verba, quæ diximus, *Audisti auris auditus te, &c.* Ac si diceret, De tua, o Deus erga homines prouidentia audiveram multa, nunc vero experimento didici, & cognoui, & quasi ad oculum vidi in me ipso, qualem erga tuos prouidentiam habeas.

6 *Iob 19.* Alter locus, ex quo arguere possumus contra idem, est Iob 19. *Et in carne mea videbo Deum saluatorem meum.* Ne autem videatur alicui de Christi solum humanitate loqui, cum ait, *Saluatorem meum*, obstruendum est, in Hebræo, imo in aliquibus vulgaris codicibus, & in emendato per Sixtum non haberi illud, *Saluatorem meum*, sed deam absolute. Ceterum, etiam si id admittamus, testimonium hoc nihil habet momenti contra doctrinam traditam. Si enim sequeremur interpretationem quam Eugubinus huic loco adhibet, dicendum esset non loqui Iob de resurrectione ex morte in carne propria, sed de recuperanda rerum sanitate, quam in sterquilino amiserat: & id. o dixisse, credo quod redemptor, & vindex meus Deus, qui ab hac miseria me liberabit, vivit, & de me cogitat: & in nouissimo die huius miserie, & calamitatis, quæ pavor, de terra, aut pulvere huius sterquilini, in quo taceo, surrecturus sum, & iterum pelle mea, & cute, quam lepra, & vlcetibus amisi, restituta renouabor, & in carne mea videbo Deum, in figura scilicet corporea, qua mihi apparuit: hæc verò spes cordi meo infixæ permanet. Putat enim Augustinus Eugubinus in eum locum, Iob vidisse oculis suo corporeo Deum, in forma tamen corporea, & visibili, in qua ei apparere dignatus est, receptam iam pristina sanitatem: & præcium huius euentus dixisse, *Et in carne mea videbo Deum saluatorem meum*: tamen non probat.

7 Verum interpretationem eandem Eugubini persequentes alij postiora verba exponunt hoc modo. Restituta mihi iam pristina sanitate in ipsa mea carne sic instaurata, & quasi de novo producta agnoscam Deum salutis meæ auctorem, eiusque erga me misericordiam, & prouidentiam suspiciam, quam ego ipse in non paruum meam utilitatem sedulo considerabo, nec alijs solum meditandam, & prædicandam relinquam: hæc vero meæ salutis reparandæ spes non leuiter cordi meo infidet.

Næque huic expositioni quidquam obstat, quod aliqui recentiores dicunt, Iob de corporali sua salute iam desperasse, cum eodem capite dixerat, *Pelli mea consumptis carnibus adhaesit os meum*: & iterum, *Et solum mihi superest sepulchrum*: hæc enim verba non sunt desperantis, sed ponderantis, & exaggerantis calamitatem suam: quasi diceret, adeo miser sum, & calamitosus, ut maior mihi calamitas accidere non possit, quam mors ipsa. In spem tamen recuperandæ sanitatis erectus illico adiunxit, *Quis mihi hoc tribuat, ut scribantur sermones mei*: & alia, quæ proxime explicauimus: quibus, cum summam esse suam miseriam agnosceret, nihilominus non consternatus animo postulabat, ut in perpetuum verba ipsius, quibus suam spem præteriti cupiebat, scripta permanerent. Hæc de priori sensu.

Secundo exponitur, ut loquatur Iob de resurrectione ex mortuis in nouissimo die iudicii, in carne, & corpore

proprio: cum ait, in ea se visurum Deum, non debet intelligi de oculo corporali, sed de acie mentis, & intellectus facta tamen in carne resurrectione, ut enim obseruauit August. cap. illo citato non dixit, *Per carnem meam*, sed *in carne mea*, ut ostenderet, solum intellectu suo, in carne tamen existente, non autem oculo corporis, & per carnem Deum ab ipso esse videndum: cum vero dicit, *Et oculis meis conspexuri sunt*, non de oculo corporis, sed mentis intelligit. Ex illo igitur loco contra veritatem, quam diximus, nihil probari potest.

ARTICVLVS III.

Verum aliquis intellectus per sua naturalia diuinam essentiam videre possit.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia diuinam essentiam videre possit. Dicit enim Dionys. 4. cap. de diu. nom. quod Angelus est speculum purum clarissimum suscipiens totam (si fas est dicere) pulchritudinem Dei: sed vnumquodque videtur, dum videtur eius speculum. Cum igitur Angelus per sua naturalia intelligat seipsum, videtur quod etiam per sua naturalia intelligat diuinam essentiam.

2. Præterea, illud, quod est maxime visibile, fit minus visibile nobis propter defectum nostri visus, vel corporalis, vel intellectualis: sed intellectus Angeli non patitur aliquem defectum; cum ergo Deus secundum se sit maxime intelligibilis, videtur quod ab Angelo sit maxime intelligibilis. Si igitur alia intelligibilia per sua naturalia intelligere potest, multo magis Deum.

3. Præterea, Sensus corporis non potest eleuari ad intelligendam substantiam incorpoream: quia est supra eius naturam. Si igitur videre Deum per essentiam fit supra naturam cuiuslibet intellectus creati, videtur quod nullus intellectus creatus ad videndum Dei essentiam pertingere possit: quod est erroneum, ut ex supradictis patet. Videtur ergo, quod intellectui creato sit naturale diuinam essentiam videre.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Sed vita æterna consistit in visione diuinæ essentiae, secundum illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognite solum verum Deum, &c.* Ergo videre Dei essentiam, conuenit intellectui creato per gratiam, & non per naturam.

Respondeo dicendum, quod impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum

58
4 d. 49. q. 2.
u. 6. Et veritas
7. 8. 3. Et 3.
constr. cap. 52.
Cap. 4. 1. 4.
patet in 118
m. diu. m.

Art. 1. huius
quæst.

dum cognoscentis. Vnde cuiuslibet cognoscētis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicuius rei cogniti excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quædam enim sunt quorum natura non habet esse nisi in hac materia individuali, & huiusmodi sunt omnia corporalia: quædam verò sunt quorum naturæ sunt per se subsistentes, non in materia aliqua, quæ tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes. Et huiusmodi sunt substantiæ incorporeæ, quas Angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens. Ea igitur, quæ non habent esse nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo quod anima nostra, per quam cognoscimus, est forma alicuius materiæ. Quæ tamen habeat duas virtutes cognoscitivas: unam, quæ est actus alicuius corporis organi: & huic connaturale est cognoscere res secundum quod sunt in materia individuali; Vnde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva eius est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis. Vnde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quæ quidem non habent esse nisi in materia individuali, non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus. Vnde secundum intellectum possumus cognoscere huiusmodi res in universali: quod est supra facultatem sensus. Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes; quod est supra naturalem facultatem intellectus animæ humanæ secundum statum præsentis vitæ, quo corpori unitur. Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale solo intellectui divino, & quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati: quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato coniungit, ut intelligibile ab ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod iste modus cognoscendi Deum est Angelo connaturalis, ut scilicet cognoscat eum per similitudinem eius in ipso Angelo refulgentem. Sed cognoscere Deum per aliquam similitudinem creatam non est cognoscere essentiam Dei, ut supra ostendimus.

sum est. Vnde non sequitur quod Angelus per sua naturalia possit cognoscere essentiam Dei. Art. 2. huius quæst.

Ad secundum dicendum, quod intellectus Angeli non habet defectum, si defectus accipiat priuative, ut scilicet careat eo, quod habere debet. Si vero accipiat negatiue, sic qualibet creatura inuenitur deficiens Deo comparata, dum non habet illam excellentiam, quæ inuenitur in Deo.

Ad tertium dicendum, quod sensus visus, quia omnino materialis est, nullo modo eleuari potest ad aliquid immateriale. Sed intellectus noster, vel Angelicus, quia secundum naturam a materia aliquantulum eleuatus est, potest ultra suam naturam per gratiam ad aliquid altius eleuari. Et huius signum est, quia visus nullo modo potest in abstractione cognoscere id, quod in cōcretionem cognoscit: nullo enim modo potest percipere naturam, nisi ut hanc. Sed intellectus noster potest in abstractione considerare, quod in cōcretionem cognoscit. Et si enim cognoscat res habentes formam in materia, tamen resoluit compositum in vtrumque, & considerat ipsam formam per se. Et similiter intellectus Angeli, licet connaturale sit ei cognoscere esse concretum in aliqua natura; tamen potest ipsum esse discernere per intellectum, dum cognoscit, quod aliud est ipse, & aliud est suum esse. Et ideo cum intellectus creatus per suam naturam natus sit apprehendere formam concretam, & esse concretum in abstractione per modum resolutionis cuiusdam: potest per gratiam eleuari, ut cognoscat substantiam separatam subsistentem, & esse separatam subsistentem.

Notatio circa rationem articuli.

Conclusio est: Non potest creatus intellectus, nec humanus, nec Angelicus propria virtute Deum videre. Multam operam consumunt Caiet. & Thomistæ in hoc articulo, ut explicant, atque defendant rationem S. Th. qua probat conclusionem illius: eam enim acriter impugnant Scotus locis ab ipso Caietano citatis. His tamen omnibus superfedere constitui, quod existimem, non ita facile de omni intellectu, etiam Angelico, vniuersim ratione solum philosophica id probari. Ex Scriptura enim, & Ecclesiæ definitione manifestum est, Deum virtute propria à nullo etiam Angelo clare videri posse. De intellectu vero humano coniuncto corpori optime id demonstratur hac ratione. Experimento constat, nihil à nobis in hac vita mortali intelligi, nisi sensuum ministerio: Deus autem, & quæcumque res spiritualis non potest per sensum apprehendi: ergo nec intellectu pro hoc statu videri, sicut est. Caiet. Scotus. 9

*Vtrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam
aliquo creato lumine indigeat.*

59
3. contra. a.
51. 52. 53. 54.
Et opusc. 3.
c. 105. 6. 4.
d. 49. q. 2.
a. 7. Et veri.
83. 84. 1. 4.

Ad quintum sic proceditur. Videtur,
quod intellectus creatus ad viden-
dum essentiam Dei aliquo lumine creato
non indigeat. Illud enim, quod est per se
lucidum in rebus sensibilibus, alio lumine
non indiget, ut videatur: ergo nec in intel-
ligibilibus. Sed Deus est lux intelligibilis:
ergo non videtur per aliquod lumen crea-
tum.

2. Præterea, Cum Deus videtur per me-
dium, non videtur per suam essentiam. Sed
cum videtur per aliquod lumen creatum,
videtur per medium: ergo non videtur per
suam essentiam.

3. Præterea, Illud, quod est creatum, ni-
hil prohibet alicui creaturæ esse naturale:
si ergo per aliquod lumen creatum Dei es-
sentia videtur, poterit illud lumen esse na-
turale alicui creaturæ, & ita illa creatura
non indigebit aliquo alio lumine ad vi-
dendum Deum. Quod est impossibile.
Non est ergo necessarium quod omnis
creatura ad videndum Dei essentiam, lu-
men superadditum requirat.

Sed contra est, quod dicitur in Psal. In
lumine tuo videbimus lumen.

Respondetur dicendum, quod omne quod
excedit suam naturam, oportet quod dis-
ponatur aliqua dispositione, quæ sit supra
suam naturam. Sicut si aer debeat accipe-
re formam ignis, oportet, quod dispona-
tur aliqua dispositione ad talem formam.
Cum autem aliquis intellectus creatus vi-
det Deum per essentiam, ipsa essentia
Dei sit forma intelligibilis intellectus. Vnde
oportet, quod aliqua dispositio super-
naturalis ei superaddatur ad hoc, quod
eleuetur in tantam sublimitatem. Cum
igitur, virtus naturalis intellectus creati
sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut
ostensum est, oportet quod ex diuina gra-
tia superaccrescat ei virtus intelligendi.
Et hoc augmentum virtutis intellectus
illuminationem intellectus vocamus, sicut
& ipsum intelligibile vocatur lumen,
vel lux. Et istud est lumen, de quo dicitur
Apocal. 21. quod claritas Dei illuminabit
eam, scilicet societatem beatorum Deum
videntium. Et secundum hoc lumen effi-
ciuntur deiformes, id est, Deo similes: se-
cundum illud 1. Ioannis 3. Cum apparue-
rit, similes ei erimus, & videbimus eum,
sicuti est.

Ad primum ergo dicendum, quod lu-
men creatum est necessarium ad viden-
dum Dei essentiam, non quod per hoc lu-
men Dei essentia intelligibilis fiat, quæ

secundum se intelligibilis est, sed ad hoc
quod intellectus fiat potens ad intelligen-
dum, per modum, quo potentia fit poten-
tior ad operandum per habitum. Sicut et-
iam lumen corporale necessarium est in
visu exteriori in quantum facit medium
transparens in actu ut possit moueri a co-
lore.

Ad secundum dicendum, quod lumen
istud non requiritur ad videndum Dei
essentiam, quasi similitudo, in qua Deus
videatur, sed quasi perfectio quædam in-
tellectus confortans ipsum ad videndum
Deum. Et ideo potest dici, quod non est
medium in quo Deus videatur, sed sub
quo videtur. Et hoc non tollit immédia-
tam visionem Dei.

Ad tertium dicendum, quod dispositio
ad formam ignis non potest esse naturalis
nisi habenti formam ignis. Vnde lumen
gloriæ non potest esse naturale creaturæ,
nisi creatura esset naturæ diuinæ: quod
est impossibile. Per hoc enim lumen fit
creatura rationalis deiformis, ut dictum est.

Conclusio est affirmans, ea vero sequitur ex
præcedentis articuli doctrina. Si enim nullus
intellectus naturali sua virtute, & principiis sibi
debitis iure creationis Deum, sicuti est, videre va-
let, sequitur aliquo dono supernaturali indigere,
quod quia debet esse principium videndi, merito
lumen appellatur, ut disp. 42. patebit.

DISPUTATIO XLI.

An intellectus creatus propria virtute
Deum videre possit.

*Contra errorem Anomæorum statuitur doctrina Catholi-
ca, cap. 1.*

*Virtute naturali intellectus Deum non posse videri, contra
durandum probatur, c. 2.*

CAPVT I.

Contra errorem Anomæorum statuitur doctrina Catholica.

Philosophi quidam, ut refert Nazian. orat. 42.
quæ est secunda in pascha, ausi sunt affirmare
Deum in hac vita ab intellectu nostro virtute pro-
pria comprehendere, hoc est, clare videri, sicuti est, &
totum agnoscere posse. Eos vero ex Schola Platonis
fuisse, testatur Nicetas, & Psellus in illa verba eius-
dem orationis, *Immensus igitur, atque eorum du-
cem Eunomium extitisse. eundem errorem tribuit
etiam Eunomio Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili
natura dei. & Theophylactus in illud ad Ephes. 3. in gen-
tibus euangelizare. Basilius lib. 1. contra Eunomium post
medium, Theod. lib. 4. heretic. fabular. Hieronymus in illud
Matth. 11. Nemo nouit filium. Hos vocauit Chrysost.
Anomæos, vel Anomos, quasi sine regula, sic et-
iam appellauit Epiph. heresi 76. atque eorum ducem
fuisse putat Aetium; eis tamen solum errorem Ar-
rianorum adscribit. Dictos vero existimat Ano-
mæos, quasi sine regula, & æqualitate, quod Dei
Filium inæqualem esse Patri docerent: id ipsum
de Aetio, & eius discipulis tradit Niceph. lib. 11. histor. 2. 11. sed quia Eunomius idem prorsus de inæquali-
tate filij docuit, merito, & ipse Anomæus potuit
appel-*

*Nazian.
Qui fuerint
huius erroris
auctores.*

*Nicetas.
Psellus.
Eunomius.*

*Chrysost.
Theophyl.
Basilius.
Theodoret.
Hieron.*

*Anomæi
Epiphanius.
Aetius.*

Nicephorus.